Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1597
Quelle:
Copyright:

nimi, qui possit esse in his locis et additur *Brunna;* quae similitudo, quamvis admodum claudicet, Patriam tamen Autoris aliquatenus manifestat.

V. *fol.* eod. et *p.* ead. *Plurima miracula de corpore Christi.* Miranda intellige, quorum Noster censet VII. *ratione Institutionis*, VI. *ratione Consecrationis*, totidem *ratione continentiae*, IV. *ratione perceptionis*, et totidem *ratione efficientiae.*

VI. *fol.* 87. *Miracula.* Hexas est e *Cantipratani*, *Caesarii Heisterbac.* &c. officina.

VII. *fol.* 88. *Hic incipit disputatio corporis cum anima composita per magistrum Rudbertum grossi capitis* (Capitonem, Greathead, Grosseteest) *linconiensem episcopum.* Quater produxi rhythmicum hunc Dialogum *Vol.* I. jam pleniorem, jam mancum. Praesens Exemplum initio conspirat cum illo, quod P. II. *col.* 2317. indicavi:

Noctis sub silentio tempore brumali
Deditus quodammodo somno spiritali
Corpus carens video spiritu vitali
De quo mihi visio fit sub forma tali &c.

Qui vero ad famosum *Lincolniensem* referat, neminem novi praeter Codicem *Paulinum Lips.* relatum a *Fellero* in *Catal.* p. 309. indeque citatum a *Leysero Hist. Poet. med. aevi* p. 997. Finit:

Mundumque cum frivolis suis condemnavi
Aurum gemmas pocula vanum reputavi
Rebus transitoriis abrenunciavi
Et me Christi manibus totum commendavi.

Explicit disputatio — scripta per manus Eberlini de Noua Domo. En igitur Codicem a *Bohemo* exaratum.

VIII. *fol.* 89. p. 2. Rursus XIV. *Miracula*, potissimum de B. *V. Maria.*

IX. *fol.* 92. Spicilegium quoddam pertinens ad *Summam Vitiorum* supra N°. III. indicatam, de *Otiositate*, *Superbia* et *Ira*, juxta Editionem *cit.* suis locis inserendum.

X. a *fol.* 98. accedit 1) Index in utramque *Summam Virt. et Vitior.* 2) Schema sive *Arbor Virtutum et Vitiorum.* 3) Subpletur Initium Rhythmorum N°. VII. adductorum:

Ecce mundus moritur vicijs sepultus
Ordo rerum vertitur, cessat Christi cultus &c.